Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

aperientes corpus eius ab omni corruptione illesum repererunt. excepto quod pars extrema
pedis unius quem aqua abluebat. tantum colore mutato quasi tabida uidebatur.
Et congruo satis miraculo primo sanctitatis eius inditia claruerunt. ut uidelicet tam illesum
a corruptione corpus eius inueniretur. quam illibatus ipse fuit a crimine cuius oppositione
superatus uidebatur ad tempus. Hac itaque deuoti fratres rerum nouitate perfecti instructi.
corpus honorifice sumptum rati imposuerunt. et accendentes candelas unam ad caput. al
teram collocauerunt ad pedes. Cumque deserto litore incertis se uiis. et summa instan
tia religioni insistentes. sub omni celeritate cuperent remeare. continuo tanta uis pluuie
uentorumque prorupit ut nullum effugium se crederent habituros. Sed mira omnipotentis dei dis
pensatione. et ut credimus sancti uiri meritis actum est. ut ipsa quoque alimenta que nobis insensi
bilia esse uidentur famulantia sui creatoris imperio. quanti uiri reliquie ibidem ueheren
tur senserint. Nam pelagus circumquaque imbri fera tempestate commotum. undasque
in altum suspendens nil omnino remigantibus moleste intulit. Sed in quamcumque partem
nauis ueniret reiectis flatibus. tumentes in se fluctus repressit. Et ita ex omni parte undarum
molibus imbrium effusionibus uentorumque flatibus non paruo demotis spatio. quasi sepe qua
dam scafa cingebatur. ut ne una quidem pluuie gutta que hinc inde uehementer in
undabat. in nullam descenderet. Cerei qui in beati patris obsequium ardentes ad caput pedesque
fuerant collocati. lumen prime accensionis nequaquam amiserunt. quo adusque corpus eius ad mona
sterium deferretur.

Vita sancti Bricii episcopi et confessoris

Igitur post excessum beati Martini turonice ciuitatis episcopi. summi et inreparabilis
uiri. de cuius uirtutibus magna apud nos uolumina retinentur. ad episcopatum sanctus Bricius
succedit. At uero hic Bricius. cum esset primeue etatis iuuenis. sancto Martino adhuc uiuen
te in corpore. multas ferebat insidias. pro eo quod eodem tempore cor eius facile moueretur.
Quadam tamen die dum quidam infirmus medicinam expeteret. Bricium adhuc diaconum
in platea conuenit. et simpliciter ait. Ecce ego prestolor beatum uirum. et nescio ubi
sit. uel quid operis agat. Cui Bricius. Si inquit delirum queris. prospice eminus. ecce celum
solite sicut amens respicit. Cumque pauper ille in occursum reddito quod petierat impe
trasset. Bricio diacono uir beatus Martinus alloquitur. En ego Brici delirus tibi ui
deor. Cumque ille confusus hec audiens dixisse se denegaret. ait uero sanctus Martinus. Nonne
aures mee ad hostium erant. cum tu eminus loquebaris. Amen dico tibi. quia obtinui
apud deum ut post me ad pontificatus honorem accederes. Sed noueris te in episcopatu multa ad
uersa passurum. Bricius hec audiens. irridebat eum dicens. Nonne uerum dixi. istum
delira uerba proferre. Sed ad presbiterii honorem prouectus. sepius beatum Martinum conuitiis
lacessiuit. Ad episcopatum quoque consentientibus ciuibus. pontificatus officium oratione uacabat. quia
quamquam esset superbus et uanus. castus tamen habebatur in corpore. Tricesimo ordinatio
nis sue anno. oritur contra eum lamentabile crimen. Nam mulier ad quam cubicu